

nitida vestitum. Pedes validi ferruginei, tenue griseo-pubescentes, tarsis apice obscurioribus.

G Y L L E N H.

239) L A M I A L Y N X: subcylindrica alba, nigropunctata, plaga dorsali denudata nigra; thorace inæquali mutico, elytris thorace vix latioribus apice emarginatis, antennis brevibus.

Habitat in India orientali. Dom. Gröndal. Mus. Schönherr.

Magnitudo & fere statura *Clyti liciati*, facie ab hoc genere aliena. Antennæ corpore breviores 11 articulatæ, primo albo, reliquis nigris annulo basali punctisque sparsis, albo-pubescentibus. Caput æquum pube longiori densaque alba tectum, oculis, ore, punctisque hinc inde denudatis, nigris. Thorax antice angustior truncatus, posterius sensim dilatatus, basi subsiniatus, totus tuberculoso-inæqualis & punctatus, pube depressa alba ut in capite tectus, punctis lateralibus plagaque dorsali denudatis nigris. Scutellum breve transversum nigrum. Elytra thorace parum latiora illoque triplo longiora, convexa, apice modice angustata emarginata, tota alba nigropunctata, punctis impressis versus latera confluentibus; in dorso plaga magna suturalis denudata nigra, posterius evanescens, reliquis hinc & inde guttulis albis. Corpus subtus dense albo-pilosum punctis atris variegatum, ano in nostro specimine profunde emarginato. Pedes validi breves, mutici, corpori concolores.

D A L M.

240) L A M I A (D O R C A D I O N) M U C I D A: nigra pube brevissima cinerea tecta, annulis antennarum vittisque elytrorum fuscis.

Habitat ad Alger. Mus. Schönherr.

Magnitudo et fere statura *L. morionis*, thorace tamen quam in illa longiore, & elytris absque plica humerali. Corpus totum investimento e pube brevissima cinereo-albida obductum, hinc & inde punctis vittisque fuscis adpersum. Antennæ dimidio corpore paullo longiores, articulis basi albidis apice fuscis. Caput statura ut in affinibus punctatum. Thorax basi apiceque truncatus, utrinque spina valida armatus, dorso subdepressus, punctatus, cinereus. Scutellum nigrum albo-ciliatum. Elytra marginata basi truncata,

humeris rotundatis nec prominulis nec plicatis, circa medium parum latiora, apice rotundata, dorso convexa; tota cinereo-pubescentia, vittis 2 l. 3 angustis fuscis vix determinatis, punctisque sparsis fuscis; in fundo irregulariter punctata. Corpus subtus investimento cinereo tectum, immaculatum, pedibus concoloribus, tibiis apice latioribus ut in affinibus.

D A L M.

241) L A M I A (D O R C A D I O N) S P I N O L A E: atra nitida immaculata, vertice thoraceque rugosis, elytris punctatis sub-coriaceis.

Habitat in Hispania, a Dom. Dejean benevole communicata, nomine *Lam. nigra*. Mus. Schönherr.

Statura parva crassa *Lam. fuliginatoris*, tota aterrima glabra immaculata; a *Lam. morione* omnino distincta. Antennæ dimidio corporis parum longiores, nigrae, versus apicem certo citu fusco-cinerae. Caput cum ore atrum, nitidum, fronte rude-punctata, vertice punctato rugoso vix impresso. Thorax basi apiceque truncatus, utrinque spina valida sed non acuta armatus, supra convexus, punctis rudis confluentibus rugosus. Scutellum semicirculare, sub-impressum, nigrum, parum pubescens. Elytra marginata, basi truncata humeris parum prominulis rotundatis, convexa, apice singulatim rotundata, sub-coriacea, ad basin profunde versus apicem subtiliter punctata. Corpus subtus atrum, nitidum, subtilissime punctulatum, vix pubescens, pedibus concoloribus.

D A L M.

Mente venerabunda Illustrissimum Dom. Maximilianum Spinolam, auctorem celeberrimum "Insectorum Liguriæ", colens hocce Insectum, nomine speciali *Spinola*, designare voluit SCHÖNHERR.

242) L A M I A (D O R C A D I O N) S C A B R I C O L L I S: elytris atro-holosericeis, sutura margine striaque albis; thorace rude punctato-rugoso; antennarum basi pedibusque rufis.

Habitat in Georgia Asiæ. Dom. Steven. Mus. Schönherr.

Statura magnitudo & summa similitudo *Lam. rufipedis* & *striata*, sed ab utraque distincta punctis thoracis multo majoribus, profundioribus & confluentibus, unde rugosum & inæquale evadit. Antennæ longitudine dimidii corporis, nigrae, articulo basali rubro,